

*Februum pestilentialium, septies intra annos
septuaginta apud nos grassata-
rum, descriptio.*

BAsilæa inclyta ciuitas, in qua ante annos sep-
tuaginta septem natus sum, & Medicinam an-
nos quinquaginta sex exerceo, Archiatriq; & Pro-
fessoris Medici munus, annos quadraginta duos
obeo, etsi cum ob situm, tum structuram, tum mun-
ditiem aëre puro & salubri fruatur, septies tamen
peste aliquandiu grassatâ, & singulis ferè decenijs,
reuersâ, eam miserè infestatam memini. Cuius cau-
sam, præter peccata, quæ Deus sic certo tempore,
quando hæc, cum securè uiuentibus nobis in-
ualefcunt, punire solet, etiam necessitatem hanc
naturalem esse, possemus dicere, quòd cum ferè
duplo plures, quotannis nascantur, quâ alijs mor-
bis è medio tollantur, uti iam diu à me obseruatū
fuit, intra decennium, hominum numerus adeò
increscat, ut hac veluti repurgatione, nonnunquâ,
cum nimium homines aucti sunt, nec aliter bello,
fame, aliave clade imminuuntur, opus sit, & hanc
ob causam pestis, quò diutiùs emanet, cum redit,
maiorēque hominum deprehendit copiam, eò
maiorē etiam edit stragem, uti in septem hisce
pestilentijs, alijs citiùs, tardiùs alijs redeuntibus,
ostendemus. Præterea & quòd toties nos inuadat
pestis, non minimam causam esse existimo, quòd
cum alibi, in vicinia præsertim, pestis bacchatur, in
nostram hanc urbem, quæ nemini hospitium de-
negat, infecti transfugere soleant, per quorum
contagium, sicuti animaduerti, hospitia
ubi diuerterunt, infi-
ciuntur.

stram inuasit, ita vt 10. Octobris, ex patria discē-
dens, Monspeffulum studij Medici causâ, plures eâ
septimanâ sint mortui, multos etiam adhuc ægro-
tantes relinquerem, illiusque diei nocte, quo disces-
si, ancilla patris mei peste, à qua tamen euasit, cor-
riperetur, quod & Thomæ Schepfij comitis mei,
Ludimagistri tunc apud Diuum Petrum, postea
Medici Bernensium facti, familiæ accidit, quam ea
ipsa nocte pestis inuaserat: Ac si Deus, nobis par-
cere volens, antequam lue ædes nostras inficeret,
nos periculo subtractos, in tutum locum ablega-
turus esset. Durauitque hæc pestis, multos peri-
mens, totâ illam hyemem, & sequentis Anni 1553.
initio, quo duo villici parentis mei, peste etiam in-
terierunt: Verisque tempore, sensim cœpit remit-
tere, tandemque cessare.

Numerus defunctorum, cum non fuerit anno-
tatus, incertus, certum tamen, magnum eum, cum tam
diu pestis durauerit, fuisse, eaque hyeme solum,
circiter mille homines obiisse, nec minorem quam
præcedenti anno eam esse cladem. Quo & insi-
gnis Hebrææ linguæ professor, Sebastianus Mun-
sterus, mense Maio peste sublatus fuit. Atque inter
alios, alijs morbis extinctos, Osvaldus Myconius,
summi templi pastor primarius, mense Nouembri,
apoplexiâ iam senex, ex hoc mundo sublatus est.

*Tertia pestis Anno 1563. 1564. ve-
hementer sæuiens, Magna Pe-
stis appellata.*

HAEC pestis, secundam annis duodecim subse-
cuta, An. 1563. quo iam septem annos Medi-
cam artem exercueram, eaque durante, aliquot
centenis operâ meâ inseruieram, ab inferioribus
Germaniæ locis, ad nos suo contagio serpens hye-
mis

mis tempore primùm erupit, & mox Anno sequenti 1564. æstatis & autumnii præsertim tempore; ita inualuit; vt breui hoc spatium, quo ad finem anni illius durauit, maximam cladem intulerit, nomenque Magnæ pestis inde sortita sit, quæ postea anno sequenti vltèrius progressa, alibi quoque damnum maximum dedit.

Sæuiebat autem hæc lues, passim per urbem, atque infinitos afficiebat, & plerosque trucidabat. Moriebantur infantes quamplurimi, & adulti famuli & famulæ, è quibus, qui æstate huc recens, vt se ruerent, appulerant, pauci euaserunt. Ciuium magnus numerus, mercatorum, artificum, operationum cum vxoribus, tollebatur. Atque grauidis mulieribus infensa imprimis, plerasque, quæ uterum gestabant, inuasit, & vel foetu nondum excluso, vel per abortum prius reiecto, enecauit. E Senatu multos abstulit, vti & ex Academicis. Nec senibus & decrepitis pepercit. Sepeliebantur quandoque simul, in vna fossa, supra viginti. Ex hospitali indies funera exportabantur, quæ in amplam fossam reposita, non prius terrâ obruebantur, donec ad vigenarium, & ampliùs excreuissent numerum, Tempora, plateæ, veluti deserta apparebāt. Magnusque totius urbis luctus, & quam nemo exterorum accedebat.

Sed & multi ex illis quos pestis corripuit, Diuinâ gratiâ, tum sponte, tum Medicorum cura restituti sunt. Inter quos domi nostræ, pater & mater prouectæ ætatis, peste sæuâ prehensi, ille anthrace & bubone, hæc sex bubonibus simul qui in abscessum abierunt miserè afflicta, incolumes euaserunt, vti & binæ nostræ ancillæ, cum puero & famulo. Me quoque cum illis habitantem, & passim egros inuisentem, Diuina protexit gratia, nec tum quid mali sum passus, quàm quòd carbunculi pu-

stula, dum pulsum morientis, qui frigido mortali sudore manum meam madefecerat, tangeré, iuxta pollicé erupit, quæ & sine alia noxa ea nocte euauit. Quod & socero meo chirurgo, ægris operam danti, in pede accidit, vbi duæ eiusmodi pustulæ pestilenciales exortæ, nulla subsecuta febre, sponte subsederunt.

Numerus eorû, quos pestis sustulit, etsi magnus fuerit, quousque tamen processerit, cum tunc temporis, non vti in postreinis duabus, annotarentur extincti, admodum incertus vulgò spargebatur, plerisque ad septem, alijs ad decem millia, eum extendentibus. Ego tamen, in medio ipsorum ad finé vsque versatus, & quantum fieri poterat, præcipuis annotatis, atq; cum ministris, qui eos visitare solebât, ea de re colloquutus vix quatuor millium numerum excessisse, arbitror; quod sanè in vrbe nostra, ampla quidem, non tamen adeò populosâ, & tunc temporis, ab illis, qui cedere potuerûnt, deserta, multum est. Maximè verò me in supputatione hac mortuorum nō adeò aberrasse, ex numero eorum, qui in postrema septima ordine peste occubuerunt, & annotati fuerunt, qui quatuor vti illic demonstrabitur attingebât millia, colligere potui, cum eodem ferè modo hæc pestis, vti illa, sicuti diligenter eas inuicem contuli, grassata fuerit, sepulcrorumq; per plures dies, idem extiterit numerus: & quòd in hac peste ducenti in hospitali inscripti sint, qui numerus cum eorum, qui in septima peste ibidem extincti sunt, conuenit: atque insuper tot matrimonia diuulsa aut penitus extincta, sicuti quam plurima ex illis notarim vt & alia, quæ amissa fuère. Quod & ex nuptijs, quæ sequenti anno celebrabantur indefinenter conijcere licuit.

In defunctorum catalogo fuerunt, ex Senatoribus, tredecim; Ex Academicis, Rector, D. Marcus Hoppe-

Hopperus Iureconsultus, D. Martinus Borrhaus Theologus, D. Vldaricus Iselius, D. Martinus Huoberus, Iureconsulti, D. Ioan. Iacobus Huggelius, D. Io. Acronius Frisius, Medici; Ministri verbi Dei quinque, Studiosi multi, Typographi duo, Nicolaus Episcopus & Hieronymus Curio, &c.

In hac calamitate, admodum Medicorum opem expetebant ægri. Qui plerumque tunc, vti & ego, aquas theriacales, ad sudores mouendos, illis propinabamus, quibus & Osvaldus Berus, octogenarius Medicus & Promotor meus, multam eximia præstabat, quas ex theriaca sua, cui loco trochilorum de viperis, alios ex carne serpentum cæcorum, vulgarium nostrorum, *Blindenschlich* dictorum; paratos inferebat, parabat.

Cumq; ego in varijs antidotis experiundis, quid efficere possent, communicato quoq; consilio cum magno Gesnero (qui anno sequenti peste extinctus est) sicuti ex epistolis ipsius ad me scriptis patet, multa tentarem, antidotusq; magna illa Mathioli, à me quoq; ritè, ex selectissimis simplicibus vndiq; conquisitis, parata fuisset, eam potissimum ad curationem multorum felici successu utebar, illiusque præsertim infusionem, ex antidoto ista, cum aqua Vitæ & syrupo Citri paratam, vti in Praxi mea descripta fuit, vnciam vnus quantitate, in prima mox inuasionem, exhibere, sequentiq; die iterum repetere, solebam: sicuti multis exemplis & historijs curationum, à me factarum, si eas reseruassem, demonstrare possem: quod tamè ferè superuacaneum esset, cum & hæc & alia remedia, quibus in hac sequentibusq; pestilentijs cum successu usus sum, in Praxi mea sufficienter fuerint proposita.